



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

B. Aloysius Consaga.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

qua decessit, sacræ Crucifixi Imaginis plagas summo cum sensu exosculatus simili affectu obiaram qua valens utebatur, Virginis Imaginem complexus, atque osculatus est, & altera manu Rosarium cum piacularibus granis, altera sacrum cereum sustinens inter sanctissima Iesu, & Mariæ ingeminanda nomine, animam Deo reddidit. Apparuisse quoque moribando beatam Virginem aliqui prodiderunt; cuius sanctitatem pluribus eius intercessione editis miraculis, quæ alijs referenda relinquimus, attestatam Deus voluit.

B. ALOYSIVS GONSAGA SOCIETATIS IESU.

B. Aloysius Gonsaga Virginitatis socius.

Beatus Aloysius Gonsaga à Societate Imperij filius primogenitus, idemque futurus hæres sicuti peculiari B Virginis ope in lucem est editus: ita quo ad vixit, eandem Virginem peculiari animi affectu coluit. cuiusque virtutes conatus est imitari, etenim cum eius mater partus difficultate ita laboraret, ut omnibus medicamentorum præsidijs, frustra adhibitis, ipsa cum foetu in utero ex medicorum sententia morti esset proxima, Marchione eius viro assensum præbente, se Lauretanam Virginis domum, una cum puero, si superveniret inuisuram vouit. Voto emisso B. Aloysium enixa est, quem tamen paulò post moturum medicici pronunciabant. Sed Virginis sanctissimæ ope, & mater periculo, & filius morti substractus est: cum adhuc esset puerulus tantum in Virginem pietatis, ac deuotionis affectum concepit, ut cum de ea loqueretur seu cogitaret, imò vel eius nomen audiret, spiritali quodam deuotionis sensu totus commoueri, & colliquefcere videretur. vix decem annos natus Florontia, ut Deiparam aliqua in re ei gratissima imitaretur, perpetuæ virginitatis votum Deo in honorem eiusdem Deiparæ, coram celebri Imagine Virginis Annunciatæ, quæ summa omnium pietate in ea vrbe colitur, nuncupauit. quinimò Virginis præsidio, non solum Virginitatem perpetuò integram, & illibatam seruauit, verum etiam nullis carnis stimulis inquam commotus, nullis turpium rerum imaginibus est perturbatus, quemadmodum testati sunt ij, qui eius confessiones audierunt, singulis etiam diebus sabbati in honorem Virginis ieiunabat.

Miro deuotionis affectu de Virgine loquitur. Par. 1. c. 2. Et cap. 6. Par. 1. c. 2. Virginitatem Deo in honore Virginis vouet. Non sentit carnis stimulos. s. part. c. 6.

Mediolani dum esset adhuc in sæculo, crebro pietatis loca, præsertim verò templum Virginis ad S. Celsum eo tempore miraculis plurimis illustre, adire solebat, Madridij in Hispania cum decimum quintum ætatis annum ageret, Dei voluntatem circa vitæ suæ statum certius cognoscere cupiens, ad eam rem statuit die aliquo Virgini sacro per eandem Virginem id è Deo magna cum animi contentione quærere, instabat dies Assumptionis Virginis sacer anni 1583; quare multis precibus adhibitis, magna cum præparatione ad sanctissimam Eucharistiam eo die percipiendam le comparauit, qua sumpta se totum in preces dedit; enixè rogat Deum optimum, vt per suæ Genitricis intercessionem ipsi significare dignetur, quam nam vitæ rationem inire debeat, quo gratum suæ maiestati obsequium præstet. at ecce quasi clara, ac manifesta vox ab eo auditur, qua vt in Societatem Iesu ingrederetur ei dictum est: hæc lætus effectus post multas abscortas difficultates, quibus eius ardens desiderium est dilatatum; tandem fit voti compos Roma die 25. Nouembris 1585.

Illud quoque hic obiter indicandum, in domino illa, quam B. Aloysius Madridij incoluit, post aliquot annos à pijsissima, arque illustrissima femina Anna Felice de Gusman, Marchionissa Cantarassenli Domum Probationis Societatis nostræ institutam fuisse, cubiculoque illud, in quo idem debebat in eius memoriam venerationi haberi.

Quo autem studio B. Aloysius Deiparam imitari niteretur, ex quibusdam præceptis calamo exaratis, quæ ad humilitatem comparandam sibi ipse constituerat, licet colligere: in quibus inter alia scriptum inuenitur ad humilitatem acquirendam plurimum habere momenti beatissimæ Virginis patrocinium, ad quam propterea peculiariter confugiendum dicebat; quippè quæ sicut præ omnibus puris creaturis in hac virtute enituit, ita præcipuè eos promouere studet, qui huius virtutis magno flagrant desiderio, eaque de causa ad eius opem patrocinium que confugiunt. hæc ex eius scripto. Demùm consumptus in breui expleuit tempora multa, pluribus enim meritis, atque virtutibus ornatus Romæ die 21. Iunii 1591 ætatis 24. excessit è vitæ: quem multis miraculis Deus clarum reddere est dignatus. hæc omnia in vita eiusdem religiosè, ac diligen- ter à nostro Virgilio Cepario edita ple- nis habentur. **S. CARO.**

Par. 1. c. 2. Dando. para. 1. c. 2. ad. Soc. item. 15. 1585. in. la. Dini. eius. Med. drij. Do. mus. Pr. batoni. argum. Deipar. imitatio. fuit. Exim. Caro. 26. D. 1591. Virgilio. Cepario. edita. ple. nis.